

nefandam reddere videbatur lumen solis ad-
 eo obtusum, ut pallida ejus appareret facies
 (§.6), in his cum *Algævveriano* convenit: tem-
 poris tamen differentiam insignem offert. Et-
 enim illud integri anni fuit, si *Plinio* fides
 habenda: hoc non nisi paucarum horarum.
 Si, quod *Poëta Virgilius* cecinit, totius phæ-
 nomeni historiam absolveret; idem omnino
 judicares cum *Frælichiano* consequenter cum
Algævveriano. Cum a nobis evictum sit,
Hannibale Italiam armis petente Solem exi-
 liter luxisse & radiis exutum fuisse conspe-
 ctum (§.7); nec quidquam occurrit, quod
 ab *Algævveriano* diversitatem loquatur. Quod
Cedrenus memoriæ prodidit atque *Patricius*
 (§.8) cum eo prorsus coincidit, quod *Cæ-*
saris mortem inter fatalia Romanis posuit,
Plinio teste: utrumque enim fuit defectui so-
 lis simile ac per integrum fere anni tractum
 seu majore ejus parte durasse dicitur. Quod
 in conventu Uticensi (§.9) extitit, cum *Al-*
gævveriano convenire dubio caret (§.2). A
Gemma quod observatum ætate ac colore
 differt (§.10), colore fere convenit cum *Fræ-*
lichiano, duratione tamen cum ab eo tum a
 reliquis longi temporis differt, imo in eo et-
 iam a *Frælichiano* & reliquis prope omnibus
 abit, quod in Meridie ipsa visæ fuerint stel-
 læ. Hæc perpendicularibus nihil occurret,
 quod omnium istorum phænomenorum di-
 versitatem palam loquatur. Coloris enim di-